



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. VII. Duo modi mortificationis & pœnitentiæ, & qua ratione vterque à societate vsurpatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40093

facerem saluos. Hincque videre est, quam necessaria sit mortificatio. Dicunt Philosophi illam partem oculi, in quam species colorum recipiuntur & visio formatur, nullum habere colorem, idque sic necessarium fuisse, vt omnes in se species colorum recipere possent, & omnes videre vt sunt: Si enim aliquis ibi color esset, non posse recipere aliam quam quem habebat, *intus enim existens prohibet extraneum*. Si viridis esset, omnia visiva viridia forent, vt experientia docet, dum per viride vitrum videmus: & si colorata esset, omnia huiusmodi viderentur. Sic etiam necessarium est, vt propriam conditionem exuas, & passiones tuas mortifices, & tibi ipsi imperes, & capax sis conditionis alienæ, & sic omnibus te accommodare queas, vt omnes iustificas, vt faciebat S. Paulus: Non est spiritus religionis & perfectionis, velle omnes alligare conditioni & humori tuo, & vt tibi cholericus, solum conueniat cum cholericis, & tibi flegmatico resistat cholericus, & multo minus, si solum tibi cum concubiis bene sit. Nunquid magis infortunii instar tibi, si solum vnicum colorem posses videre? maior est infelicitas voluntatem tam breuem & tam male dispositam habere, vt solum propendat ad homines suæ nationis & conditionis. Charitas omnia complectitur, amat enim proximum propter & per Deum, & sic nullum facit discrimen inter Barbarum, Scytham, aut quemuis alium. *Vbi non est Gentilis & Iudæus, & circumcisio & præputium, Barbarus & Scythæ, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus*. Omnes in visceribus habere volebat, omnes siquidem considerat vt filios Dei & fratres Christi. Hinc videre est, quam necessaria sit mortificatio.

Ad conseruandam præterea vniõnem & charitatem fraternam, quam tam commendat Christus, vt per hanc cognoscatur esse eius discipuli, mortificatio quoque necessaria est. Nihil enim magis hanc vniõnem & charitatem fraternam dissoluit, quam sibi studere, & commodo, vti-

litati, honori & æstimationi suæ consultum velle. Quisque se consulat, & videbit, quotiescunque charitatis limites excedit, id fieri, quod aliquid sibi cupiat, vel vt non amittat, vel vt alteri non cedat. Mortificatio hæc omnia aufert, & viam charitati sternit, quæ non querit que sua sunt. Et idcirco dicit S. Ambrosius. *Si quis vult placere omnibus per omnia, querat non quod sibi vtile est, sed quod multis, sicut querebas & Paulus, qui nos monet idem: Non que sua sunt singuli considerantes, sed ea que aliorum.*

Ambr. lib. 3. officior. c. 3. 1. Ad Cor. 13. 5. 1. Ad Corint. 10. 33. Ad Philip. 2. 4.

CAPVT VII.

Duo modi mortificationis & pœnitentia, & qua ratione vterque à societate usurpatus.

Augustinus in illa verba San. Matthæi: *A diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim partitur, & violenti rapiunt illud*: sic dicit: Duo sunt abstinentiæ & crucis genera, vnum corporale, aliud spirituale. Nam duo sunt pœnitentiæ & mortificationis modi, vnus corporalis, quo castigatur & affligitur corpus, quem vocamus pœnitentiam exteriorem. cuiusmodi sunt disciplina, ieiunia, cilicium, incommodi lecti, cibus frugalis, austerus vestitus & similia, quæ corpus domant & voluptates & delicias ei subtrahunt. Alter inuenitur modus mortificationis & pœnitentiæ spiritualis: priori multo melior & excellentior. Alterum genus est pretiosius & sublimius scilicet regere motus animi, litigare quotidie cum vitiis suis, increpare se quadam censura austeritatis & virtutis, & rixam quodammodo cum homine interiore conferere: ait D. Augustinus. Nam motus suos regere, dimicare quotidie cum vitiis & prauis inclinationibus, abnegare propriam voluntatem, proprio iudicio renunciare, vincere iram, opprimere impatientiam, refrænare gulam, oculos, lin-

August. ser. 20. de Sanctis & primo de S. Ioh. Baptistâ. Matth. 11. 12.

quam & omnes sensus, hoc tandem sublimius est mortificationis genus. *Hæc enim qui facit prarupto passionis muro violenter ad cælorum regna conscendit.* Et hi sunt strenui & fortes, qui regnum cælorum rapiunt. Ideoque interior hæc & spiritalis mortificatio priore excellentior est. Domare enim & calcare honores & æstimationem plus est quam affligere carnem, & uti disciplinis & cilicio. Sicutque pœnitentia hæc excellentior est & preciosior, sic etiam est difficilior & maioris laboris, & quod preciosius, maioris est precij. Hæc etiam docent S. Gregorius multis locis, & S. Dorotheus & alij sancti.

Gregor. li. 32. moral. ca. 17. & lib. 6. c. 15. & super li. 1. Reg. 1. c. 2. Dorothei. ser. 1. Cap. 1. eva. §. 6. & 6. part. constit. c. 2. §. 15. & 16.

Duobus his pœnitentiæ generibus vitatur Societas Iesu. Quod ad prius attinet, quamvis B. Pater noster regulis certas & fixas pœnitentias non statuerit, ad quas Socij obligarentur; sed voluerit viuendi modum exteriorem esse communem, ob iustas certas rationes, tamen bonam rationem reliquit, ut infra dicemus.

Multis & iustis de causis statuit & ordinavit Pater noster, ut viuendi modus exterior in Societate foret communis, media enim ad finem suum proportionata esse debent, & quia finis Societatis non tam est proprio profectui invigilare, quam salutis & profectui proximorum; valde necessarium nos habitu cum honestis Sacerdotibus communi uti, ut facilius ad omne genus hominum nobis aditus pateret, ideoque cum religiosissimis cum sacerdotibus sacerdotibus, & cum laicis habitus non multum discrepat à clericis laicis. Præterea Societas instituta fuit tempore Lutheri, quando hæretici religiosos & eorum habitus abominabantur, & ut ad eos accessus esset, ad disputandum & eos convincendum, (quod proprie institutum nostrum est) necessario habitus ab aliis sacerdotibus non differens nobis assumendus erat, alioqui horrorem de nobis habuissent, antequam cum illis ageretur, eamque ob causam v-

Societas Iesu tempore Lutheri instituta.

Qualis habitus assumendus sit.

num medium principale impeditum fuisset ad finem necessarium, ob quem Societas instituta erat. Insuper si habitu asperius essemus, fortasse quis alius peccata nos accedere ausus non esset, cogitans nos etiam asperere & austere cum illo acturos. Sit ergo habitus communis ab omnibus receptus, ut sic facilius ad omne genus homines nobis accessus pandatur, & nullus horreat nobiscum agere.

Et ideo voluit Pater noster, ut etiam in habitu nos redderemus omnia omnibus, ut ea ratione omnes lucrifaceremus imitantes & hic exemplum Christi Redemptoris nostri, qui teste D. Augustino & S. Thoma, ut accommodaret se confortio & conuersationi hominum, eorumque vtilitati seruiret, exteriorem mediocritatem potius elegit, quam austeritatem & asperitatem Baptistæ.

Quantum ad alias exteriores pœnitentias; quamvis eas regula non determinauit, tamen regulam viuam statuit, qui est Superior, qui cuique decernit, quod conuenit. Pater noster dicit, quod hæc sumi possunt duobus modis vel eas quas quisque per se elegerit, ad plus in spiritu proficiendum, tamen Superioris approbatione, aut quando ad eundem finem ad eam obligat. Hoc magis iudicabat de Societatis re esse, quam id regula determinare: Partim quia regula mortua non poterat esse omnibus æqualis, & quia omnes non eadem vires ad has pœnitentias habent. Et si id omnibus fuisset commune, ille qui ferendo non fuisset solati expertus vixisset, eo quod alios assequi non potuisset. Ut enim omnibus ægrotis non eadem medicina, nec idem regimen conueniens est; sic etiam non eadem omnibus conueniunt pœnitentiæ.

Aliter enim cum iuue, aliter cum senes, aliter cum morbo, aliter cum sano agendum: aliter cum innoxio, aliter cum formato, ut de vulneribus dicitur.

Hinc est, quod Sanctus Augustinus & S. Basil.

Œ Basilius aiunt, non esse mirandũ, quod cũ omnib. non eodem modo in religione agatur, & quod vnus plus pœnitentiæ faciat quam alius, æqualitas enim hic maxima esset inæqualitas. Hæcque aduersitas & differentia non tantum accommodata est diuersis personis; sed & eidem diuerso tempore & oportunitate, aliqua enim pœnitentia conuenit tempore tentationis & ariditatis, alia tempore pacis & deuotionis, alia ad conseruandam, alia ad recuperandam eandem amissam. Ideo Pater noster noluit taxationem certam & determinatam pœnitentiam exteriorum omnibus statuere, sed id totum Superiori statuendum reliquit, qui medicus est spiritualis, vt secundum vires & necessitatem cuiuslibet decerneret, & vni plus, alteri minus concederet. Quod cõuenit cum regula illa, quam Angelus Dei nomine declarauit S. Pachomio. In qua mandauit, vt Superior hoc modo pœnitentias daret, quas quisq; religiosus implere teneretur.

Quia ergo Societas certas & statutas pœnitentias non habet, vt plerique alij ordines, non ideo fit, quod Societas has corporales pœnitentias non habeat, & quod ibi non magni fiant, nec in veneratione sint illæ, quas alij Ordines secundum institutum suum sancte obseruant, quarum varietate exornatur Ecclesia; sed quia iudicabat magis instituto nostro conuenire, & proposito finique magis quadrare, & antiquæ Patrum doctrinæ magis respondere, relinquere earundem dispositionem, & modum prudentiæ & caritati superioris. Quod non solum non est causa, vt minus fiat pœnitentiæ, sed potius vt plus, & vt illa maiore deotione, & meliore voluntate suscipiatur.

Hincque videre est plus pœnitentiæ Dei bonitate & misericordia in Societate fieri & exerceri, quam regula statueret potuisset Faxit Deus, vt serui iste procedat, & spiritus tam bonus & sanctus, & tam frequens in Ecclesia Dei; vt opus potius sit frenum contrahere quam

calcaribus vri, vt hætenus Deo auspice re ipsa repertum est.

Secundum pœnitentiæ genus est mortificatio passionum & proprii inordinati amoris, quod Societas præcipue amplectitur.

Et hæc altera iusta causa, ob quam Paternoster certas & statutas pœnitentias regula determinare noluit, volebat enim vt oculos in interiorem passionum & appetituum mortificationem dirigeremus, & hæc præcipua nostra esset pœnitentia, eo quod hæc, vt ante dictum, præciosior & excellentior sit. Dõm. Pater noster in statutis & regulis multa magnæ perfectionis, ad quæ necessaria magna mortificatio & abnegatio sui ipsius; & vult præcipuum studium nostrum poni in hæc abnegatione & continua mortificatione, & incremento verarum & solidarum virtutum, & omni perfectione. Poterat quidem iure timere, si certas & determinatas statuisset pœnitentias, & apud se dicere: Si ipsis relinquo certas & ordinariâs pœnitentias, non vellem ipsis occasionem dare ibi subsistendi, & iisdem contentus esse, dicentes: Tam ex regula obligor tot ieiuniis, tot ciliciis & disciplinis, hoc mihi sufficit: Et sic præcipuum omittant & quod magis ad rem facit, quæ est mortificatio passionum & exercitium verarum & solidarum virtutum.

Ideoque fundamenti loco noluit tradere nisi virtutem & mortificationem interiorem. Voluit vitam nostram exteriori esse communem, vt interior magis singularis & excellentior esset, ornata solidis virtutibus, & magna mortificatione, hocque trahi ratione & tam excellenter, vt in exteriori redundet, & probet nos esse Religiosos. Hæcque res nobis magis necessaria quam aliis Religiosis, ipsi enim habitu ab aliis distinguuntur, vt vitæ austeritas ipsis gratiam apud populum conciliat, quæ instituto nostro non conueniet. Et hinc interiori supplendum, & tanta reperienda humilitas & modestia, charitas, animarum zelus,

& tan-

& tanta cum Deo familiaritas, vt quicumque, qui nobiscum agit & nos aspiciat, dicat: Hic vero est Religiosus Societatis Iesu: *Isti sunt semen, cui benedicit Dominus.*

Esa. 61. 9.

Interior mortificatio maxime necessaria.

Maximum ideo, in quod oculorum acies nobis figenda est ei, cuius exercitium maxime vrgendum, est interior hæc mortificatio, & quacunq; die ab ea cessabimus, certo nobis persuasum esse debet, nos non viuere, vt Religiosos Societatis. Et poenitentia illa exterior, qua viuimus, assumenda vt medium, vt ad hanc perueniatur, & vir ille vere Apostolicus Pater noster Franciscus Xauerus bene docebat, & est doctrina Sanctæ Bonauenturæ.

Francis. Xauer. li. 6. vita sua c. 7.

Bonau. li. 1. de profectu Religiosorum cap. 4.

Hinc erit intelligere, quæ causa sit, quod toties audiatur, & diuina bonitate reipsa proberetur, Societatem magna suauitate agere & procedere. Suauitas hæc in Societate non est, eo quod in ea non sint res arduæ, & quod superiores teneantur admittere quodcunque volumus: Sic enim Religio non esset. Multa ardua & difficilia in Societate sunt, vt iam dicitur. Sed suauitas hæc in eo sita est, quod omnes ibi mortificationi & veræ sui abnegationi studere, omnes indifferentes & resignati in omni re, quam superiores iubent, esse debent. Hæc bona dispositio, indifferentia & resignatio, quæ ibi est, causa est magnæ suauitatis, quæ in Societate reperitur, tam in regimine & iussu Superiorum, quam obedientia subditarum, omnes enim in potestate Superiorum sunt, vt pars luti in manu figuli, vt ex ea fingat quod vult. Et hoc fuit artificium & mirabile propositum B. Patris nostri à Spiritu sancto directum tam mortificationi huic & sui ipsius abnegationi insistendi. Quasi dicere voluisset: In Societate sunt ardua & difficilia, & vt quisque ad ea exequenda promptus, & dispositus sit, & vt Superiores non timeant nec vereantur illa iubere, ponimus ipsis pro fundamento mortificationem, & sui ipsius resignationem; Ideoque omnes intelligant, se debere

Multa ardua & difficilia sunt in Societate.

Bona dispositio causa est magnæ suauitatis.

esse tam indifferentes, & resignantes in Superiorum manus, vt de se ipsis stantur, quod volent, vt lutum est in manu figuli, & pannus in manu factoris, qui de eo agit vt vult, partem manicis, partem dorso, partem ventri, partem collo, partem simbriæ accommodat, & tam vniquam alter idem pannus est, & tam bonum est lutum, ex quo vasa mensæ, & ex quo culinæ finguntur, totum enim ex eadem massa sumptum est, teste Apostolo Paulo. Sic omnes erunt comilitones & coæui in Societate, & forsitan ille qui docebat initia Grammatices tam aptus erat, quam qui arces & Theologiam, & tamen non queritur lutum nec pannus: *Quid me fecisti sic*: Sicque causa & radix suauitatis, quæ in Societate est, in re sita est, & quod valde mortificatus, indifferens & resignatus sis in omnibus, & quod nulla in te nec resistentia, nec contradictio reperiat, nec interior, nec exterior quodcunque iubent Superiores. Et si facilitatem & suauitatem hanc in obediendo ex iis quæ occurrunt minime sentis, non superiores culpa, nec desis conquerere, sed de te potius vt non disposito nec mortificato vt conueniebat. Superior facit, quod sui muneris est, & credit te Religiosum esse, & vt talem mortificatum, & indifferentem ad omnia, nec opus esse tuam consulere voluntatem, & te bene dispositum querere, semper enim dispositus esse debebas & paratus ad omnia, quæ obedientia iuberet.

Imo potius superior magno te honore afficit, quod te talem putet, & vt cum tali agat, & vt tali mandet. Quando lapis bene aptatus est, quanta cum facilitate faber murarius illum locat? solum demittit: sed dum nondum aptatus est multis malleolorum ictibus opus, vt apte locetur.

Hinc etiam res consideratione digna oritur, quam etiam notat S. Bonauentura. Quod cum interior mortificatio multo difficilior sit poenitentis exterioribus, vt supra dictum, quod tamen quis se de

exteriorib. pœnitentiis plus excusare potest, quam de interiore mortificatione. Quis enim dicere potest, non suppetunt vires ad tamdiu ieiunandum, nec cilicium ferendum, nec tot disciplinas tolerandum, nec discalceatum incedendum nec ad media nocte surgendum. Nullus vero dicere potest: Non suppetunt vires nec sanitatem, vt sim humilis, patiens, vel obediens vel resignatus. Bene poteris dicere, virtutem non habeo pro tanta humilitate, vel tanta obedientia & resignatione, vt est necessaria in Societate: sed sanitatem non habeo ad illa, dicere non potest. Ad hæc enim corporales vires necessariæ non sunt, sed spirituales; nam fortis & debilis, ægrotus & sanus, magnus & parvus hæc omnia diuina fauente gratia possunt.

Quod sane quibusdam magno solatio est, qui pusillanimitatis tentationem sentire solent, dum sibi persuadent, se qualitatem & capacitatem non habere, vt tam alto & sublimi sine potiri possent, qualis est ille Societatis. Narrat Sacra Scriptura libro primo Regum, Saul iussisse nunciari Dauidi, quod vellet ipsi dare filiam suam nuptum; Respondit Dauid: *Num parum videtur vobis generum esse Regi: ego autem sum vir pauper & tenuis.* Rex rursus iubet ei renunciari: *Sic loquimini ad Dauid: Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum, vt fiat ultio de inimicis Regis.* Idem hic respondere licet, Deus his qualitatibus non eget, nec his dispositionibus & talentis, quæ obiciis. *Deus meus est tu, quoniam bonorum meorum non egess.* Quod petit, est, vt circumcidat istos Philistinorum, paucos appetitus & inclinationes.

Idem à nobis exigit & petit Societas, & ideo si voles, aptus ad eandem eris. Labora esse valde humilis, & valde indifferens & resignatus in omnibus, quæ de te statuere volent, & hoc sufficeret. Deus liberet te à vanitate & superbia: Deus faxit, ne amicus propositi & commoditatis tuæ sis, & ne quaras delicias & honores,

& cum superioribus simpliciter & sincere agas: hoc enim si fiat, nulla tibi difficilior religio reperietur. Humili vero, mortificato, pauperi spiritu, indifferenti & resignato, & ei qui propriæ voluntati renunciauit, omnia quæcunque in Societate sunt, facilia & suaui sunt.

Vnde æquum est, Deo nos gratos esse, & agnoscere magnam gratiam & beneficium nobis collatum, vt quamuis in Societate multa ex se difficilia & laboriosa sint, tamen illa nobis tam facilia factu & suaui reddidit: plures enim exteriores pœnitentiæ ibi reperuntur, quam regula statui poterant, vt ante diximus.

Et quod ad interiores & mortificationem attinet, quæ aliis teste D. Augustino maiores & excellentiores; habemus multa in regulis & constitutionibus nostris tantæ perfectionis & tam difficilia, vt multo omnes pœnitentiæ & austeritates exteriores excedant. Sed id vsu probemus.

Aliquem enim debere rationem reddere Superiori & Præfecto rerum spiritualium, omnium eorum spiritualium, omnium eorum quæ in animo suo latent, omnium motuum, tentationum & malarum inclinationum, defectuum & imperfectionum, quod tam petitur & usurpatur in Societate, & est verum ex substantialibus punctis eiusdem, facile declarat, id ex se esse difficilius ieiunio, disciplina & cilicio. Idque quod mandat regula: Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipue ad maiorem submissionem & humilitatem propriam contentus esse quisque debet, vt omnes errores & defectus ipsius, & res quæcunque, quæ notatæ in eo & obseruatæ fuerint, Superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur. Quod sane tale est, vt magna humilitate & mortificatione opus sit.

Hinc ne querate, si tibi ante non indicetur, & si forte plus æquo exaggeratus

Æquum vs Deo simus gratias beneficia nobis collata.

Can. 17. congregationis. 5. generalis. Regu. 6. summarii.

eus sit defectus. Sed nec hic finis est, sed ita dispositus esse debes, vt publice te reprehendant, non tantum legitima de causa, sed etiam ob omnino nullam. Et etiam quando falsa in nos insurgunt testimonia, vult Pater noster non solum nos dispositos, sed etiam laeros esse, nulla tamen ad id per nos data occasione, & vt mundani homines quærunt, magna diligentia honores & magni nominis existimationem; sic nos contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati debere. Vnde apparet quanta virtute opus sit.

Non solum dispositi sed etiam laeros debemus esse.

Indifferentes erimus in omnibus officiis.

Præterea debemus esse indifferentes in omnibus officiis, ministeriis & occupationibus, quæ ab obedientia iniunguntur, & in quocunque gradu ad quem Societas nos dirigere volet. Et quandoquidem in Societate tam diuersa sunt officia & gradus, & vnus altero sublimior, esse indifferentem ad abiectissimum, & eo tam contentum, quam si in altissimo officio constitutus esset, maxima est perfectionis, & vbi magna mortificatio requiritur.

Ad proficiendum dispositus & paratus qui libet erit.

Semper dispositus & paratus esse debes ad proficiendum in quamcumque mundi plagam & ibi dicta officia exercendum, non solum in alio collegio, sed etiam alia prouincia, & alio extero regno, & in India Orientali & Occidentali, Romæ, in Germania, in Anglia, & Transilvania, vbi numquam posses videre parentes & amicos, sic vt te videndi amplius spem omnem abiciant.

3. p. 116. 3. c. 7.

Quod ad paupertatem attinet, eandem Societas tanta austeritate & rigore profiteretur, vt nullus in cubiculo delicias aliquas habere possit, non tantum ad esum, sed ne librum quidem, in quo liceat lineam ducere, nec secum ad aliud collegium transferre.

Et tam nudi & omnibus exuti esse debemus, (vt dicitur, cum de paupertate & egestate agemus,) vt claustrum arcæ addere non liceat, ad quod in ea conseruandum, sed omnia parula, aperta & manifesta esse debent, quasi

dicere volentes: Cape si vis, non est meum.

Hæc & alia his similia, quæ in Societate sunt, clare demonstrant, quam omnes pœnitentias & austeritates exteriores difficultate superant; & ideo quicunque rigide secum agere volet, & se valde mortificatum reddere, & magna pœnitentia vti (quæ boni spiritus tessera est) id plenè manib. in Societate perficere poterit.

Et licet aliqui fuerint, qui tentatione vexati voluerunt celare & velare tentationem maioris perfectionis colere, & facere plus pœnitentiæ in vna quam altera religione; tamen sciendum hanc non fuisse causam nec finem eos mouentem, sed quia tolerare nequiuicunt, mortificationem & perfectionem, quæ in Societate vigeret. Et huius habemus experimentum ab illis ipsis extortum, & quod plus est declaratum à Sede Apostolica, videlicet Pio Quinto, qui fuit Ordinis Sancti Dominici, in bulla Societatis data contra apostatas, qui eam exeunt vt deficient ad mundum vel alios ordines, excepto Carthusianorum. In qua expositis perfectione, difficultate & magno labore, qui sunt in instituto Societatis declarat tentationis radicem, quam aliqui sumunt, vt exeant, vel ad alios ordines transeant, his verbis: *Nihilominus nonnulli animi lenitate, vt credebatur, ducti, ac quietem labori, cui proculdubio Religiosi Societatis huiusmodi pro excolenda & propaganda Christiana Religione continuo erant expositi, ac priuatum commodum publicæ tam dictæ Societatis quam Christianæ reipublicæ utilitati indifferetè præferentes, fuscatisque coloribus asserentes se id facere ob frugem melioris vultus aut strictioris obseruantia, ad alios fratrum mendicantium Ordines transire posse incipiebant.* Sic vt verum fatendo, id non fiat desiderio maioris perfectionis, nec maiori pœnitentiæ, sed solum vt laborem & difficultatem fugerent, & quod appetunt nem & vires in se non sentiant ad tantam perfectionem & mortificationem parandam, & ad tantam indifferentiam & re-

signa.

signationem, quanta in Societate requiritur, acquirendam. Hinc tam in mortificatione Pater noster persistebat, volens vt ea exerceamus & fundemus, & id totum omnium studium sit.

CAPVT VIII.

Mortificationem non esse odium, sed non solum animæ, verum etiam corporis verum amorem.

Quando quidem dictum, & Sancti docent Sacris Euangeliis congruenter nos nos ipsos odio habere debere, idemque durum & naturæ nostræ repugnans videtur, vt aemo turbetur hoc audiens, ne inde occasionem caperet animo cadendi & se non mortificandi, aperimus hic, hic non esse odium nec horrorem, quo nobis male volumus, sed verum non solum animi, sed etiam corporis amorem: sed potius contra, non se mortificare est vere se odisse & non horrere solum animam, sed etiam corpus. Dicit S. Augustinus super illa Apostoli: *Spiritus concupiscit aduersus carnem: Absit fratres mei, absit vt Spiritus concupiscendo contra carnem oderit carnem.* Quid ergo ibi odit? *Vitæ carnis odit, prudentiam carnis odit, contentionem mortis odit.* Non odit ergo carnem, sed potius diligit eam mortificando & resistendo. Medicus enim non ægotum sed morbum odit, & cum illo pugnat, sed potius amat ægotum. Idque clare demonstratur: nam aliquem amare est ei bene velle, vt dicit Philosophus, & illum odisse est ei malum imprecari. Qui ergo hoc agit, vt corpus mortificet, & ei appetitus & inordinatos affectus subtrahat, in eo totus est, vt maximum illi & summum bonum pareat, videlicet æternam quietem & gloriam, sicque suum erga id verum amorem indicat: Sed qui non agit, vt id mortificet, sed illud prauas propensiones, & appetitus sequi permittit, parat ipsi maximum malum, quod ei accidere potest, id est, infernum

semper duraturum, ideoque hic vere corpus suum odit. Hinc Propheta: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* quia æternum ipsi procurat infernum. Eandem ob causam dicit Augustinus. potest dici, quod etiam corpus oderit, illi enim idem malum accessit. Hincque est quod Theologi dicunt iustos & bonos se inuicem plus amare quam peccatores & malos, non solum quantum ad animam, sed etiam ad corpus; ipsi enim exoptant verum bonum, quæ est æterna felicitas, cuius etiam corpus suo modo particeps esse debet. Addit D. Thomas ob eandem rationem, quod iustus corpus suum amet, non quocumque amore, sed caritatis amore, qui est præcipuus & maximus amor.

Hoc duorum ægotorum exemplo clare patet, quorum alter edit & bibit, quod sapit, & venæ incisionem auerteret, nec medicinam aliquam recipit: alter vero omni diligentia se regit & tuetur, & quamuis sitiat & esuriant, nihil cibi vel potus admittit, pharmaca licet amara, sumit, venam incidi patitur, quamuis doleat. Certum est, secundum hunc corpus & vitam & sanitatem plurius facere, & ad eam adipsiscendâ & conseruandam malle aliquid pati, & potionis admittere: priorem vero se necare, eo quod sitim & difficultatem aliquam tolerare nolit. Idem ad propositum facit. Ideoque dicebat S. Bernardus quibusdam sæcularibus, qui suos monachos mirabantur tam rigide tractare corpora sua, quibus eos infensissimos hostes esse dicebant; ipsos potius corpore odisse, quibus æterna supplicia parabant concedendo breues & statim perituras voluptates: sed monachus vere corpora amare, breui illa tempore affligendo & præparando æternam quietem.

Hoc verum esse clare in Euangelio demonstrauit CHRISTVS, dum enim dixisset: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me;* statim rationem subiungit: *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam.* In hæc ver-

Psal 10. 6.
S. Thom. 2. 2. 9. 25. art. 5. 6. 7.

Mortificationem etiam corpori non obesse ostenditur simili.

Odit corpus qui illud dolitate persequitur.

Matth. 16. 25.